Fra Det Kgl. Biblioteks tekstportal (tekster.kb.dk)

Forfatter: Brahe, Tycho

Titel: Udrag fra Et generis et ingenij nobilitate juveni [Digt til Erik Lange]

Citation: Brahe, Tycho: ”Tychonis Brahe Dani opera omnia”, i Brahe, Tycho: *Tychonis Brahe Dani opera omnia*, udg. af I.L.E. Dreyer , 1913-29, s. 5. Onlineudgave fra Arkiv for Dansk Litteratur: https://tekster.kb.dk/catalog/adl-texts-tycho15tom-shoot-idm140167753877440/facsimile.pdf (tilgået 19. april 2024)

Anvendt udgave: Tychonis Brahe Dani opera omnia

Preßis ille tuo reſidens in corde lituris
Scilicet eſt preßis obliterandus amor.
Vt novus et melior, qvi te revocetqve juvetqve,
Impreßus menti reſtituatur amor.
Imprimere Uraniæ Muſæ, Vulcanus, Apollo
Qvem poterint, vanus qvando peribit amor?
Id ſi noſter amor, ſi typi et littera preßa
Expedient, aderit mox tibi qvantus amor?
Magnus is eſt, fateor, qvo nunc torqveris amore,
Parvus erit, veniet cum tibi verus amor.
Nec fruſtra hunc veteres parvum finxêre Poëtæ,
Cum neqve ſit magnus ſit neque fixus amor.
Sydera nec vincit penetrat nec viſcera terræ,
Sed perit in minimis iſte puſillus amor.
Verior et major typis tua pectora noſtris
Muſa omnes ſuperos orat ut intret amor.
Sin minus et ſolidum nunc aſpernaris amorem,
Forte olim dices: ſicne fefellit amor?
Sicne fefellit amor? bona ſic mihi tempora ademit?
Tunc etiam nolles, iſte fuißet amor.
Sed cave ne ſero nimium, cum occaſio calva
Aufugiet, pectus ſerior intret amor;
Pœnitet hunc fruſtra, qvem ſero pœnitet, et cum
Nulla ſalus reſtat, ſtat qvoqve nullus amor.
Nunc igitur vigor ingenij et tibi firma juventus
Cum ſiet, aßvetus ſac valedicat amor.
Inſvetus ſubeat, validum qvi corpore, mente,
Artibus, ingenio te tibi reddat amor.
Utqve valere qveas, qvod amoris liber et igne
Efficies, dicit nunc vale firmus amor.

EPILOGUS.

Si non vis ſolidum, ſtolidum ſecteris amorem,
In ſtolido ſolidi ſurget amoris AMOR.

Datum Vraniburgi
Anno 1584, 9 Calend. Decembr.

T.

Tycho Brahe.

ANNOTATIONES